



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet**

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &  
Festos, ab ipso Auctore confectus

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1651**

3. Mira vis in volucres Sanctis diuinitus concessa.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45686**

Neque serpentina duntaxat, aut quadrupedes Sanctis paruerunt, verum etiam pennatae volucres. Quis enim nescit Eliam Thesbitem, Paulum & Antonium eremicolas à coruo; Cuthbertum ab aquila pastos? Iosephum Anchietam ab eadem Iouis armigera superuolitante, cōtra solis aestum, velut à clypeo testum? Seuerus Abbas passerem habuit manibus eius intrepidè aduolantem, & porrectum capientem cibum. Quod minùs mirum est. Ad Maxentium Abbatem Pictauiensem, siluestres aues, relicto nimore, solebant vèitare, & absq; vlllo metu è manu eius tritici grana, & frustula panis, miculàsque surripere. Quid de illa auicula dicam, quæ raptum dulcedine cantus monachum, multis annis, sine cibo potuque, detinens, in silua, docuit, quanta esset voluptas caelestium gaudiorum? quorum imago fuit siluestris musica, ita aures suauiter permulcens, vt etiam ventrem satiaret.

Aëris incolae, imitatae sunt squamigeræ pecudes, incolæ aquarum, pisces, Diuis ad nutum obsecuti. Balæna Britannica insulæ instar extensa, & ad formam firmæ terræ, vligine, immo gramine, secundum dorsi eminentis marginem obsita, exscendente S. Maclouio, è naui, & sacrificante, ad Numinis maiestatem cepit contremiscere, ac loco moueri. Qua re animaduersa, Maclouius belluæ imperauit, vt staret, donec sacra peragerentur, ac sicci vectores in nauim redijsent. Stetit, & iussa fecit, ad verecundiam grandium dominorum, qui vel in templis sæpe quieti stare nequeunt, donec res diuina ad finem perducatur. De cancris quoque mira recensentur, inter quos vnus S. Francisco Xauerio crucem in mare prolapsam, ad littus, extulit, restituitque. S. Vdalrico Augustano Episcopo, ipsæ ranæ obsecundârunt. Nam cum prætereūti coaxando obstreperent, molestæque essent, iussæ tacere, loquax alioquin animal, tacuerunt. Ex Euangelio notum est, de pisce staterem ore Petro ferente, deque multitudine piscium, ad Christi voluntatem, in retia intrante. *Tobias exiuit, vt lanaret pedes suos, & ecce piscis immanis exiuit ad deuorandum eum. Quem ex-pauescens Tobias clamauit voce magna, dicens: Domine, inuadit me. Et dixit ei Angelus: Apprehende branchiam eius, & trahere eum ad te. Quod cum fecisset, atrox eum in siccum, & palpitare cepit ante pedes eius, qui cum venerat deuoraturus. Sed vtique id, ope Angeli,*

III.

3. Reg. 17. 4.  
S. Hieron. in  
vit. Pauli.  
Bed. in vit.  
Cuthb.

IV.

Matth. 7. 27.

Ioan. 21. 6.

Tob. 6. 2.